

tavit mercedem meam decem vicibus... Si quando dixit: Variæ erunt mercedes tuæ: pariebant omnes oves varios fetus; quando vero e contrario ait: Alba quæque accipies pro mercede: omnes greges alba pepererunt. Ergo non de primo, sed de secundo pacto, hæc sine mendo intelligi possunt.

R. Neg. conseq. Tum quia traditio, de qua hic, facta est eodem tempore, quo facta est prima separatio; tum quia ipse contextus historiæ significat, hic tantum enarrari executionem primi pacti. Ita ratiocinantur hujus opiionis patroni. Interim his notatis,

Dico 2. Nihil in hoc pacto cum Laban inito injustitiæ aut superstitionis, etc., commisit Jacob; ut patebit ex solutionibus argumentorum. Unde

Obj. I. Jacob initum cum Laban pactum fraude vitiauit: nam contractus, ut diversicolores fetus nascituri sibi cederent in mercedem, sic intelligitur, ut illos tantummodo obtineret, qui non artificiose, sed naturaliter nascerentur tales.

R. Neg. assumpt. Ad probat. dico, contractum sic quidem naturaliter fuisse intellectum: sed cum voluntas et auctoritas divina hic intervenerit, non plus injustitiæ commisit Jacob hoc faciendo, quam Hebræi spoliando Ægyptios, quorum spolia tantum mutuaverant, adeoque intelligebantur reddiduri, nec tamen unquam reddiderunt.

Porro quod artificium illud proprio ingenio non excogitaverit Jacob, patet ex cap. seq. y. 11 et 12, ubi se dicit ab angelo in somnis monitum, ut videret ascendentes universos masculos varios, maculosos, atque respersos, addita hac ratione: *Vidi enim omnia quæ fecit tibi Laban.* De divina quoque auctoritate constat ex y. 9, ubi dicit Jacob ad uxores: *Tulitque Deus substantiam patris vestri, et dedit mihi.* Vide etiam y. 16, ubi id ipsum asserunt sorores.

Inst. Impium est fallendi artem in Deum refundere.

R. Neg. suppositum, quod fraus aliqua in hoc facto intercesserit: siquidem Jacob non invadebat alienum, sed sibi jure præstiti laboris debitum hac arte repetebat, quod alia via ab avaro Laban obtinere non poterat.

Obj. II. Poterat Deus sine ullo artificio efficere, ut unicolores variegatos fetus ederent, si sic Jacobo satisfieri voluisset; ergo signum est, quod hæc auctore Deo gesta non sint.

R. Neg. conseq. Quanquam enim Deus sine omni humano remedio faciat, quidquid sibi placet; non vult tamen, ut negligamus causas naturales, ad finem conducentes.

Inst. Artificium Jacob non erat causa naturalis; ex qua fetus producerentur diversi coloris; ergo speciem hic exercuit superstitionis.

Prob. ant. 1. Quia Theod. q. 88 in Gen. divinæ hoc operationi attribuit, et S. Chrysost. hom. 57 miraculo adscribit.

2. Alii etiam id ipsum attentarunt, nec similem cum Jacob effectum habuerunt.

R. Neg. assumpt. Quia S. P. Ang. Q. 95 in Gen. id

ipsum vi naturali tribuit dicens: *In factu Jacob cum virgas excorticavit, detrahens viride, ut album varie appareret, et sic in conspectu fetus pecorum variarentur, cum matres in alveis aquarum biberent, et visis virgibus illam varietatem conciperent, multa dicuntur similiter fieri in animalium fetusibus.* Idem in Quæst. heb. censet S. Hieron., et passim ita docent interpretes.

Atque hoc satis patet ex y. 39, ubi indicatur, quod oves tales fetus parerent, quales umbras tempore conceptus in aquis contemplabantur. Videri etiam potest S. P. Aug. lib. XVIII de Civ. Dei, cap. VI, et lib. V cont. Jul., cap. XIV. Cæterum vim imaginativam in matribus vehementissimam, varios producere in fetusibus effectus, experientia notissimum est.

Ad probat. allatas dico, divinam operationem magno opere ipsam naturam adjuvisse, ut oves unicolores tam constanter variegatas parerent, concurrente in hunc finem angelo; prout innuitur cap. seq. y. 12, et Jacob ipse fatetur ibidem y. 9. Sicque non male loquuntur SS. Aug. Hieron. et alii qui effectum hunc ad naturam referunt: nec male Chrysost. cum suis, qui ad operationem divinam recurrunt.

Ad 2 prob. eadem quoque solutio dari potest, quod per accidens contrarium accidere possit, nec propterea improbetur, quin aliud per se et naturaliter sequatur.

Obj. III. Si artificium illud fuerit naturale, cur ex virgibus viridibus nulli nati sunt fetus virides?

R. Quia in quadrupedibus non est humorum proportio et temperies, quæ ad viriditatem requiritur. Loco igitur coloris viridis subniger in aquis ratione fundi color apparebat; et talis in gignentibus atque concipientibus phantasia representabatur.

CAPUT XXXI.

Jacob, jubente Domino, cum tota familia sua revertitur in Chanaan, inscio Laban, qui hoc inaudiens, eum insequitur; sed ne illi noceat, inhibetur a Deo: tandem amicitia fœdere inito cum Jacob, redit in Haran.

QUESTIO I. — CUR JACOB INSCIO LABAN CUM UXORIBUS ET LIBERIS ABIERIT.

Resp. et dico 1. Discessui Jacob tres causæ assignantur. 1. Mordaces calumnie filiorum Laban dicentium y. 1: *Tulit Jacob omnia, quæ fuerunt patris nostri, et de illius facultate ditatus, factus est inclutus.* Falso namque eum iniquitatis arguebant, dum ablationem seu furtum vocant justam mercedem, opesque ipsi a Deo datas.

2. Causa fuit odium Laban vultu se prodens, ut conqueritur Jacob: facies enim vel invita solet invidiam claris modis prodere; ut docet S. Basilius Orat. de Invidia.

3. Et præcipua causa fuit jussio Dei; unde dicitur y. 3: *Maxime dicente sibi Domino (per angelum in somnis): Revertere in terram patrum tuorum.*

Dico 2. Laban de fraude et iniquitate Laban coram Rachele et Lia conquerens ait y. 7: *Pater vester cir-*

cumvenit me, et mutavit mercedem meam decem vicibus; id est multis vicibus, sic ut numerus certus pro incerto ponatur, inquit Origenes, Diodorus, Procopius et alii.

Sed rectius cum D. Hieron. S. P. Aug. numerum certum et distinctum intelligit, ita ut tempore quinque annorum per decem pariendi vices Laban conditionem pacti mutaverit: nam sexto anno Jacob pertæsus aufugit. Audiatur S. P. Q. 97 in Gen., qui sic scribit: *Pecudum autem illius regionis secunditas, sicut Italarum, tanta fertur, ut bis in anno pariant.* Unde et ante ibidem concluderat: *Intelligitur ergo per singula tempora partus ovium, cum Laban videret tales fetus esse natos, quales placuerat ut ad Jacob pertinerent, pactum fraude mutasse, et dixisse ut futuro fetu alios pecudum colores haberet in mercede Jacob.* Tunc autem ille virgas varias non supposebat, et non nascebantur varii, sed unius coloris, quæ Jacob ex novo pacto auferebat. Quod cum vidisset Laban, rursus pactum fraude mutabat. Ita S. pater.

Dico 3. Cur vero clam aufugerit, ipse Jacob assignat postquam a Laban comprehensus esset in monte Galaad, y. 31 dicens: *Quod inscio te profectus sum, timui ne violenter auferres filias tuas.*

Dico 4. Rachel cum viro suo fugiens, secum abstulit idola patris sui, seu simulacra aurea et argentea, vel in compensationem dotis, qua Laban filias suas fraudaverat (ut voluit Estius et Tirinus) vel ut occasionem et materiam ulterioris idololatriæ parenti subtraheret, ut putant SS. Basilius, Greg. Nazianz. et Theod.: adeoque factum proprie dictum non commisit.

QUESTIO II. — DE FOEDERE ET JURAMENTO INTER JACOB ET LABAN.

Dico 1. Postquam adversus Laban ostenderat Jacob, sese munus veri pastoris in cura gregis illius adimplevisse, amicitia fœdere sibi a Laban oblato, y. 45: *Tulit Jacob lapidem, et erexit eum in titulum, id est, in testimonium fœderis inter se et Laban, quem, y. 47, vocavit Laban TUMULUM TESTIS, et Jacob ACERVUM TESTIMONII: uterque juxta proprietatem linguæ suæ.*

Notandum hic, quod hebraice contrario modo legatur, scilicet quod Jacob Hebræus hebraice eum vocaverit: *Tumulum testis*, et Laban syriace: *Acervum testimonii*. In quo conciliando se torquent nonnulli (inquit Jansenius), sed quia *tumulus testis et acervus testimonii* in re idem plane significant, sicut *Deus verus et Deus veritatis*, hinc interpres non fuit sollicitus de illa differentia; sed tantum ut eandem rem diversis nominibus exprimeret, vel certe verba textus nostri incuria librariorum inverso modo posita sunt.

Dico 2. *Juravit ergo Jacob, y. 55, per timorem patris sui Isaac*, id est per Deum, quem Isaac timebat, colebat et reverebatur. Eodem sensu dicit Jacob y. 42: *Nisi timor Isaac adfuisset mihi.* Ubi timor sumitur pro objecto timoris, id est Deo, quem timuit Isaac; prout textus chaldaicus explicat.

Dico 3. Laban vero juravit per Deum Abraham, et

per Deum Nachor fratris Abrahæ; id est per Deum verum, quem colebat Abraham, et verisimiliter simul per deos falsos, quos colebat Nachor idololatra, a quo descendebat Laban. Etenim hoc exemplo Jacobi plures docent theologi, licitum esse fidelibus suscipere juramentum, imo in necessitate exigere ab infidelibus, licet prævideantur juraturi per falsos deos.

CAPUT XXXII.

Jacob videt binas angelorum acies, sibi in tutelam a Deo designatas; reconciliando fratri suo Esaü mittit munera: luctatur cum angelo et prævalet, nomenque accipit Israel.

QUÆSTIO UNICA. — QUIS FUERIT ILLE VIR QUI LUCTATUS EST CUM JACOB, y. 24.

Resp. et dico: Verisimilius nobis apparet, virum illum non fuisse Filium Dei (prout aliqui autumant) sed angelum creatum, eumque bonum, puta angelum custodem Jacob.

1. Quia Osee XII, luctator ille, de quo hic, vocatur absolute *Angelus*.

2. Quia eam sententiam amplectitur S. P. Aug. lib. XVI de Civ. Dei, cap. XXXIX, ubi ait: *Hoc nomen (scilicet Israel) illi ab angelo impositum est, qui cum illo fuerat in itinere de Mesopotamia redeunte luctatus, typum Christi evidentissime gerens.*

3. Quia in eadem sententiam abierunt Hieron. Eusebius, Josephus et alii communiter: adduntque Deum in V. Testamento per angelos tactum, et nunquam per se apparuisse, ne quidem in celeberrima illa apparitione, dum Moyses legem accepit in monte Sinai, ut narrat Apost. ad Galat. III, 19.

4. His adde exoticum videri, quod Deus cum homine pugnaret, et ab eo vinceretur; maxime cum lucta illa fuerit corporalis, ut satis patet ex eo quod post eandem, tacto femore, Jacob ad aliquod tempus claudicaverit. Quis enim prima fronte non exoticum asserat, Deum omnipotentem ab homine infirmo superari?

5. Denique insolitum Jacobo incussisset timorem, etiamsi tantummodo post luctam cognovisset se cum Filio Dei fuisse luctatum.

Obj. I. Hic y. 28 Jacob dicitur *fortis fuisse contra Deum*. Item interrogatus a Jacob de nomine suo, respondit: *Cur quæris nomen meum? tacite insinuans illud esse admirabile.*

Insuper Jacob summis votis expetivit benedici ab eo quocum fuerat luctatus; imo et nomen loci appellavit *Phanuel*, id est *apparitio Dei*. Denique gratulabundus dixit Jacob: *Vidi Deum facie ad faciem, et salva facta est anima mea.* Ergo non angelus fuit, sed Filius Dei, qui hic cum Jacobo luctatus est.

R. Neg. conseq. Quia cum angeli sæpe repræsentaverint personam Dei, dicitur Deus apparuisse. Qui aatem hic apparuit, etiamsi secundum personam esset angelus, Dei tamen majestatem et auctoritatem referebat; ideo et vocatur *Deus*, nomenque ejus dici posset *admirabile*: et potuit ei benedicere an-

gelus, utpote dignitate major; cum et filiis Joseph ejusdem angeli benedictionem imploret Jacob cap. XLVIII, dicens: *Angelus qui eripuit me de cunctis malis, benedicat pueris istis. Quod denique dicit Jacob: Vidi Deum facie ad faciem... hoc dicit ad designandam quandam eminentiam intelligibilem contemplationis supra communem statum*, inquit S. Thom. 1 P. q. 12, art. 11, ad 1.

Obj. II. Juxta S. P. Q. 104 in Gen. *Prævaluit Jacob Christo, vel potius prævalere visus est per eos Israelitas, a quibus crucifixus est Christus. Ergo Jacob luctatus est cum Christo.*

R. Neg. conseq. Quia istam luctam ibidem non explicat S. P. proprie, sed mystice; verba enim sunt: *Quod ab angelo desiderat Jacob benedici, cui luctando prævaluit, magna est de Christo prophetia. Nam eo ipso admonet mysticum aliquid sapere, quia omnis homo a majore vult benedici, etc.*

Porro mysterium in eo situm est, quod angelus ille significaverit Christum, Jacob autem Judæos; qui, sicut Jacob angelo prævaluit, ita Christo prævaluisse videntur, dum eum crucifixerunt.

Obj. III. Multi ex vetustioribus patribus, Justinus, Clemens Alexand., Cyrillus, Tertul., Theod., Ambros. et alii censent, virum hunc fuisse Filium Dei, secundam scilicet in Trinitate personam.

R. Plerosque duntaxat velle, quod vir ille Verbum incarnandum representaverit: si qui tamen velint, quod non tantum representative, sed etiam entitative fuerit Filius Dei, sequitur inde, sententiam contrariam aliqualem habere probabilitatem quamvis nostram propter allata fundamenta dicamus probabiliorem.

Obj. IV. Concilium Syrmiese can. 14 definit hunc virum fuisse Filium Dei.

R. Concilium hoc episcoporum fuisse arianorum, hoc volentium definire, ut vel ex hac clade ostenderent, silium esse minorem Patre; adeoque suspectæ est auctoritatis.

Si tamen legitimum foret, facile dici posset, quod tantum velit, angelum hunc non representasse Deum Patrem (ut aliqui erronee arbitrabantur), sed Filium, prout patet ex verbis canonis.

Obj. V. Christus in Scriptura sæpe vocatur *Angelus*; ergo ex eo quod dicatur fuisse angelus, nihil sequitur.

R. Neg. conseq. 1. Quia dum *angelus* de Christo dicitur, sæpe restringitur, ut dum dicitur *Angelus testamenti*, *Angelus pacis*, etc. vir autem ille simpliciter et sine addito dicitur *Angelus*.

2. Quia juxta S. P. Aug. supra acit. *angelus*, de quo hic est quaestio, *typum Christi evidentissime gerebat*: atqui non gessit hic Christus typum sui ipsius; ergo.

CAPUT XXXIII.

Jacob humili submissione et munerum oblatione sibi conciliat affectum fratrem Esau, habitat in Socoth et in Salem, ubi Deo liberatori suo altare erigit, et sacrificat.

QUESTIO UNICA. — AN HOC CAP. IN ALIQUO DELIQUERIT JACOB.

Dico 1. Non tantum hæretici, omnia patriarcharum facta vellicantes, sed et aliqui reperiuntur catholici, qui Jacobum hic non ab omni prorsus peccato eximendum existimant.

Porro tria sunt, quæ in speciem objici possunt. 1. Quia, *̄. 5, progrediens adoravit pronus in terram septies, donec appropinquaret frater ejus. Ergo cultum indebitum fratri exhibuit.*

2. Versu 10 ait ad fratrem: *Sic vidi faciem tuam, quasi viderim vultum Dei. Ergo subdolos fuit adulator.*

3. Versu 14 rursus dicit: *Præcedat dominus meus ante servum suum, et ego sequar paulatim vestigia ejus... donec veniam ad dominum meum in Seir. Ergo imprimis cessit dominatui, et juri primogenituræ sibi a Deo concessio. Deinde et mentitus videtur, quia non ivit in Seir, sed in Socoth.*

Dico 2. Falsæ sunt omnes istæ calumniæ Jacobo impactæ.

Prima quidem: quia ex nullo textu colligitur an Jacob adoraverit Deum, an fratrem suum; nec desunt, qui autumant, illius adorationis objectum fuisse Deum, quem invocavit, ut fratrem suum, juxta ante promissa, sibi propitium redderet. Verum non opus est eo recurrere ad excusandum Jacob; et revera ex antecedentibus et consequentibus colligi videtur, quod septena illa prostratione significare voluerit, se venire, ut erga Esau reverentiam exhiberet, et se suosque honoris causa ei subiceret. Hinc simili modo Jacobo succedentes Bala et Zelpha, deinde Lia, tandemque Rachel, cum suis respective filiis, eundem adoraverunt. Itaque Jacob se prostravit coram Esau, *Ut provocaret per gestus et adorationem* (inquit S. Chrysost. Hom. 58) *fratrem in sui benevolentiam. Politica ergo fuit hæc adoratio, etiam hoc tempore satis communis, non actus religionis. Neque per hanc aut alias reverentias juri primogenituræ renuntiavit; sed servivit tempori, donec placeret Deo promissum suum implere.*

Secunda calumnia refutatur, quia juxta S. P. Aug. Q. 105 in Gen. Jacob ista tantum dixit, ut placatum jam fratris sui animum sibi magis devinciret. Unde falluntur illi, qui ista animo perturbato prolata esse existimant: quia Esau jam ante fratri ruerat in occursum, eumque osculatus præ lætitia flevit.

Confirmat id ipsum cit. Chrysost. subdens: *Hoc magni obsequii gratia dictum est a justo, ut eum demulceret, et ad fraternam benevolentiam duceret. Præterea Hebræorum phrasi per hyperbolen sic loqui potuit Jacob, ut id quod sibi gratum et eximium erat, adjuncto Dei nomine celebraret; sicuti David Psal. LXXIX cedros proceras vocat *cedros Dei*: item sicuti montes magni et præalti appellantur *montes Dei*. Deinde sensus esse potest: *Conspectus placidi tui vultus mihi certum est divinæ protectionis indicium; ita ut ipsam Dei faciem, quæ me benigne intuetur, videam contemplari.**

Denique quidni per similitudinem hæc intelligi possint? Ita ut sensus sit: *Sic vidi faciem tuam mihi faventem, sicuti ante vidi vultum Dei mihi benignum; in quo nulla est adulationis umbra: cum hæc et similia passim obvia sint etiam in conversationibus humanis.*

Tertium peccatum cum aliquibus catholicis ei affricat Calvinus, asserens, quod Jacob nunquam intenderit ire in Seir, tum quia non nisi temerarie inconstanti fratri confidere poterat, tum quia permixtio amplissimarum familiarum causa esse poterat recrudescens inimicitiae. Sic ante vidimus, quod propter amplissimas utriusque familias, dissensio et contentio orta sit inter pastores Abrahami et Lot: quam ob rem et illi duo a se invicem divisi sunt. Imo etiamnum quotidiana constat experientia, quod inter opulentissimos fratres et sorores gravissimæ sæpius oriantur difficultates propter frigidum illud *meum et tuum*, quæ tanto aciores sunt, quanto sibi invicem sanguine sunt propinquiores.

Verum Calvino oppositum habemus S. P. Aug., qui Q. 106 in Gen. asserit, Jacobo hoc dicenti animum fuisse invisendi fratrem, quanquam, re postmodum maturius perpensa, eundem propter allatas rationes immutaverit; ergo eum excusat a mendacio. Addunt alii mutationem illam esse factam, suggerente Deo; quo supposito, non plus mentitus est Jacob, quam magi, qui *per aliam viam*, monente Deo, *reversi sunt in regionem suam*. Math. II, 12; licet promisissent se redituros ad Herodem.

Cæterum nonnulli existimant, satis probabile esse, quod revera Jacob secutus sit suum fratrem in Seir, ne ipsum ob promissi recentis violationem ad pristinum inimicitiam provocaret.

Potuisset revera spretus Esau facile invenire fratrem suum in Socoth, eique malum inferre, quod in via metuerat, etc. Porro de recrudescente illa inimicitia nihil meminit Scriptura, quin potius commemorat, quod pacifice convenerint ad sepulturam Isaac, infra cap. XXXV, 29: ergo probabile est, quod propter servatam promissionem constans fuerit inter istos fratres reconciliatio.

Nec obstat 1. quod illius itineris non meminerit Moyses; quia non narrat etiam quod Jacob invisit suos parentes, nisi post raptum Dinæ, et alia, quæ decennio post ejus reditum ex Mesopotamia contigerunt. Non ideo tamen sequitur, quod tam diu expectaverit, antequam suos parentes invisit; sed contrarium potius verum est.

Nec obstat 2. prima ratio Calvini: quia præterquam quod incontestabilia amicitiae signa a fratre suo recepisset Jacob, fidere debebat Deo, qui fratrem ei rediderat propitium, et solemnibus apparitionibus præsidium suum sponderat.

Nec obstat 3. secunda Calvini ratio: quia illud periculum evitavit invisendo fratrem ad breve tempus, tanquam hospitem, non autem ut notabili tempore in Seir moraretur. Atque ita temporis illius moræque brevis forsans causa fuit, cur Moyses istius visitatio-

nis non fecerit mentionem. Propter eandem rationem etiam tacere potuit, quod aliquando patrem invisit.

Neque huic ultimæ opinioni obstat auctoritas S. P. Aug., quia ipse loco cit. positive non asserit, quod Jacob fratrem suum non invisit; sed hoc, propter taciturnitatem Scripturæ, supposito, dicit quod Jacob *forte veraci animo ad fratrem suum ire promiserit, aliud vero postea consulto delegerit.*

CAPUT XXXIV.

Dina rapitur ac violatur a Sichem, quocum filii Jacob, hanc injuriam ulcisci volentes, dolosum sædus ineunt, ut ipse, omnesque ejus subditi, circumcidantur. Simeon et Levi Sichimitas, ex circumcissione laborantes, invadunt et trucidant.

QUESTIO UNICA. — AN, ET QUOMODO PECCAVERINT SIMÉON ET LEVI, AUCTORE CÆDIS.

Dico 1. Quamvis nonnulli hoc factum excusandum putent; omnino tamen illud reprehensioni obnoxium est; maxime cum illud reprehendat ipse Jacob, tenuiter quidem hoc cap., gravissime autem in lectulo mortis, quando hos duos filios suos vocat *vasa iniquitatis bellantia, et maledictum eorum furorem*, infra cap. XLIX, 6.

Dico 2. In isto facto, duo illi fratres multipliciter et graviter peccaverunt.

1. *Imprudencia et temeritate*, cum adolescentes vix 19 au 20 annorum, in scio patre, facinus tam arduum, tamque periculosum, in medio vicinorum hostium aggressi sunt, adeo ut totam suam familiam, irritatis Chananeorum populis, in maximum discrimen adduxerint.

1. *Injustitia*, seu usurpatione juris alieni, cum privata auctoritate, nulloque justo titulo bellum moverint, principe familiæ suæ nec consulto, multo minus probante: legitima enim auctoritas erat penes Jacob.

3. *Deliquerunt peccato perfidiæ et mendacii*; cum ulciscerentur injuriam jam ante a se condonatum, justaque satisfactione abolitam, imo mutuo federe extersam.

4. *Commiserunt peccatum sacrilegii*; cum ad dolos et fraudes suas, ac injustam cædem abusi sint sacramento suæ religionis, id est circumcissione, re apud ipsos sacratissima.

5. *Crudelitatem et tyrannidem exercuerunt*, dum graviter læsos et afflictos ex sua suggestione et in gratiam sui, hostiliter invaserunt et jugularunt.

6. *Peccarunt opprimendo innocentes et excedendo in vindicta*: neque enim solum raptorem ejusque familiam, sed omnes etiam urbis masculos (inter quos plures certe erant innocentes) occiderunt; pueros et feminas captivos abduxerunt, agros et domos spoliaverunt ac diruerunt.

Denique peccarunt *pernitencia* in scelere, et *impudentia*, etiam post increpationem patris; ut colligitur hic ex *̄. ult.* et infra ex cap. XLIX.

Obj. 1. Judith IX, 2, dicitur *Deus dedisse Simeoni gladium* (in ultionem horum Sichimitarum) *et uxore*

eorum ac filios dedisse servis suis in prædam, qui zelaverunt zelum Dei.

R. Quod Deus dicatur Simeoni gladium dedisse ad eum modum, quo dedit postea Chananæis et Assyriis, ut divinæ justitiæ administri essent ad punienda peccata, cum ipsi interim propterea non essent sceleris immunes.

Laudat itaque Judith vindictam ex parte Dei, qua Sichimitarum impuritas et violentia vindicata est; laudat et zelum pudicitiae, quem Simeon habuit contra stupratores; minime tamen laudat factum vel modum, quo zelum istum executus est.

Obj. II. Cap. XLVIII, 52, dixit Jacob ad Joseph: *Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio et arcu meo.* Atqui LXX per partem illam intelligunt *Sichimam*; ergo judicavit Jacob, hanc civitatem a se fuisse legitime comparatam: alias enim de ea non disposuisset, sed reddidisset eam hæredibus cum omnibus bonis ex ea ablatis.

R. Disting. min. LXX intelligunt per partem illam *Sichimam*, hoc est partem agri urbi sichimiticæ propinquam, quam emerat a filiis Hemor patris Sichem centum annis, cap. XXXIII, 19; concedo: intelligunt urbem sichimiticam; nego min. Porro quod partem illam agri post excidium sichimiticum derelictam Amorrhæi occupaverint, et Jacob eandem ab ipsis in gladio et arcu recuperaverit, probabiliter asseruimus supra ad caput XXIII.

Quod vero urbem Sichimam Jacob nunquam occupaverit, patet ex eo, quod statim post funestam illam cædem, ex ea regione discesserit; ut dicitur in sequentibus.

Obj. III. Licitum est ulcisci gravissimam tantæ familiæ illatam injuriam: imo et oppressores similes omni jure condemnantur.

R. Hoc esse plane licitum, dum vindicta non fit privata auctoritate, nec modus exceditur; cujus utriusque reos fuisse filios Jacob, satis ostensum est.

CAPUT XXXV.

Jacob familiam suam idolis expurgat, Deoque altare ædificat in Bethel, ubi rursus Israel appellatur. Moritur Rachel in partu Benoni, quem pater vocat Benjamin. Ruben incestum committit cum Bala concubina patris sui. Numerantur filii Jacob, cujus pater Isaac moritur.

QUÆSTIO UNICA. — AN HOC CAP. ALICUJUS PECCATI ARGUENDUS SIT JACOB.

Dico I. Qui omnia proximorum facta in sinistram solent partem detorquere, festucam, quam in oculo fratris sui se videre apprehendunt, trabem esse sibi imaginantur. Hinc calumniatores in Jacob innocentem rursus insurgunt; et quidem

1. Rabbini arguunt eum infidelitatis in Deum, quod votum suum, a viginti novem circiter annis Deo factum in Bethel, post suum in Chanaanitidem accessum, ad novem circiter annos distulisset, illectus fer-

tilitate terræ sichimiticæ: quamobrem Deum asserunt permisisse raptum Dinæ, et deprædationem sichimiticam, per filios suos attentatam; ut sic, irritatis Amorrhæis, vel invitus cogeretur terram illam deserere, et tendere in Bethel, votum suum expleturus.

2. Perpetuus Jacobi mastix Calvinus reflectens ad γ 2: *Abjicite deos alienos, qui in medio vestri sunt*, execrandæ idololatriæ arguit cum Rachele Jacobum. Hinc perspicimus, inquit, quorsum tenderet furtum Rachelis; neque enim voluit patrem a superstitione retrahere, sed in ejus vitium successit: neque venenum hoc apud se continere, sed sparsit in totam familiam. Sic pessima contagione infecta fuit illa sancta domus. Unde etiam patet, quanta sit hominum ad impios et vitiosos cultus propensio, quando domestici Jacob, quibus pura religio tradita erat, tam cupide oblata idola arripiunt.

Nec vero prorsus inscius fuit Jacob: sed credibile est, nimis fuisse uxorium, ut sua indulgentia pestem domi tacitus aleret.

3. Seivit incestum Ruben primogeniti sui, qui tam impudenter thorum paternum temeraverat; et impium hoc crimen tacite dissimulavit; ergo et approbavit.

Dico 2. In nulla harum calumniarum vel nævus inveniri potest, qui Jacobo in culpam imputetur. Unde

R. ad 1, quod non nisi juxta Dei voluntatem tam diu (si tamen verum sit, quod diu prope Sichem moratus fuerit) in terra sichimitica permanserit, donec opportuna adesset occasio migrandi in Bethel, et explendi votum Deo factum: nam de impletionis illius dilatione nullatenus ipsum arguit Scriptura, sed potius promptam ejus insinuat voluntatem. Vix enim inter omnes illos mœrores et afflictiones apparuerat ei Deus, dicens γ 1: *Surge et ascende Bethel, etc.*, quin illico, γ 2, convocata omni domo sua, datoque mandato de abjiciendis diis alienis, etc., γ 3, dicat: *Surgite et ascendamus in Bethel, et faciamus ibi altare Deo, qui exaudivit me in die tribulationis meæ, et socius fuit itineris mei.* Quam grata autem fuerit Deo hæc prompta voluntas, patet ex γ 5, ubi *terror Dei invasit omnes per circuitum civitates, et non sunt ausi persequi recedentes.*

Quod autem additur, hæc de causa permissum esse raptum Dinæ, et deprædationem sichimiticam, parum putumque est figmentum rabbinicum; cum S. Bernard. tract. de 12 Grad. humilit., cap. XXIX, conformiter ad Scripturam, raptum illum refundat in Dinæ curiositatem; unde hic a Deo permitti potuit ad exemplum posteritatis, ut unde discerent virgines, quam sit periculosum vagari solas variisque se et incertis oculis objicere, etiam sine ulterioris mali intentione. Pari modo eadem et deprædationem Sichimitarum potius Deus permisit, ut filiis Jacob, tanquam instrumentis suæ justitiæ, uteretur ad puniendos impios Sichimitas.

Si vero quis velit, hæc partim permissa fuisse ad probandum justum Jacob, velut aurum in fornace.

facile manum dederit; licet in his et similibus occulta Dei judicia non esse inquirenda fatear.

Ad 2, nego suppositum, quod hic agatur de idolis Laban, quæ abstulerat Rachel; quia sic per annos circiter novem ea in familia sua latere vel ignorasset Jacob, vel tolerasset; quod de viro integerrimæ religionis, tot interea beneficiis divinis cumulado, dicere calumniosum est. Profecto crimen hoc ingens non tacuisset Moyses, qui vel apparentes etiam Jacobi nævos exacte notavit; imo nec dissimulanti pepercit Aaroni.

Dico ergo quod Jacob hic intelligendus sit de simulacris, quæ tum filii, tum domestici ejus ex Sichimitarum direptione abstulerant, eo quod ex pretiosa materia essent conflata.

Colligitur hoc 1. Quia vix mandatum dederat Jacob, et dederunt ei omnes deos alienos, quos habebant. Atqui non tam facile dedissent idola, si per novem circiter annos ea amassent et coluissent; ergo.

Colligitur 2. Quia dederunt ei omnes deos alienos; ubi videntur plura simulacra exprimi: atqui Rachel non abstulit plurima patris sui idola, cum omnia, iis insidendo, ipsa sola tegere potuerit.

Colligitur 3. Quia agitur hic de diis alienis, qui pretiosas habebant in aures in auribus eorum: atqui de similibus inauribus nihil meminit Laban; ergo non agitur hic de idolis Laban.

Inst. I. Ergo prodigaliter egit Jacob, infodiendo subter terebinthum pretiosa ista monilia, quæ sui non coluerant.

R. Neg. sequelam; quia hoc faciendo, zelum ostendit religionis, prudenterque præcavit, ne quis suorum per ea postmodum forsitan seduceretur.

Inst. II. Quidni potius ea destructa, vel sibi, vel Deo applicuit? Sicuti postea David tulit coronam de capite Melchom idoli Ammonitarum, sibi que inde fecit diadema; et sicuti spolia regum Syriæ quos debellaverat (inter quæ aliqua verisimiliter idolorum templis deservierant) ad fabricam et usum templi destinavit.

Respondet Abulensis: Noluit illud aurum vel argentum in aliam formam conversum accipere, ut quod semel dictum fuerat cultui dæmonum, nunquam applicaretur ad usum hominum.

Respondet Salvianus, quod hoc videantur ex abundantia fervoris, potius quam ex necessitate factum. Interim melius forsitan

Respondetur, quod facere hoc potuerit Jacob, ut vel sic ostenderet quantum sibi displiceret temerarium et injustum utriusque filii sui in direptione sichimiticæ facinus. Ex quo disparitas eruitur hæc, quod prædam Ammonitarum justo sibi bello comparasset David; Jacob autem existimaret spolia Sichimitarum nullo sibi jure deberi.

Ad 3 dico, quod Jacob praxim sit imitatus prudentium, qui filiorum et subditorum peccata ad tempus dissimulant, dum vel majora patiuntur, vel ex correctione acerbiora timent secutura mala, ut magis

S. S. XXVI.

sedato animo, et majori cum fructu postea corrigant quod erat corrigendum.

Porro in mediis tunc doloribus versabatur Jacob, tum ob molestias viarum, tum ob amissam dilectissimam suam Rachelem, in partu Benjamin extinctam. Ex altera autem parte metuere poterat ferocitatem incestuosi filii sui primogeniti Ruben, quem punivit exemplariter in fine vitæ; ut patet ex cap. XLIX, 5 et 4.

CAPUT XXXVI.

Duces et reges ex Esaü prognati recensentur, tum ut constet non fuisse irritam promissionem Dei, cap. XXV expressum: Duo populi ex ventre tuo dividentur; tum etiam ut ostendatur, benedictionem Isaaci cap. XXVII datam Esaü, reipsa fuisse adimpletam.

QUÆDAM RESOLVUNTUR. — Petes 1. an uxores, quas hic legitur accepisse Esaü, duxerit post mortem patris sui.

R. negative, et dico cum S. P. Aug. Q. 118 in Gen. *Quod post narrationem mortis Isaac narratur quas uxores Esaü acceperit, et quos creaverit [sive quos genuerit filios] recapitulatio intelligenda est: neque enim post mortem Isaac fieri cæpit, cum jam essent Esaü et Jacob centum viginti annorum. Nam eos sexagenarius suscepit, et vixit omnes annos vitæ suæ centum octoginta.*

P. 2. an uxores, de quibus hic agitur, sint eadem quæ recensentur supra, cap. XXVI et XXVIII.

R. Probabiliter affirmative. Quare observa, quod pluribus nominibus olim tum viri, tum feminae appellarentur: unde hic γ 1, Esaü vocatur *Edom*, et alibi *Seir*; quod bene notandum, ut conciliari queat genealogia hoc cap. proposita cum eis quæ dicuntur I Paralip. I, 36 et seqq. Itaque uxor Esaü quæ hic vocatur *Ada, filia Elon Hethæi*, eadem cap. XXVI, 34, vocatur *Judith, filia Beerî Hethæi*: et quæ hic vocatur *Oolibama, filia Anæ*, ibi vocatur *Basemath filia Elon*. Rursus quæ hic vocatur *Basemath*, illa cap. XXVIII, 9, vocatur *Maheleth*.

P. 3. quomodo hic γ 6 dicatur Esaü post mortem patris sui Isaac abiisse de terra Chanaan, et habitasse in monte Seir, et recessisse a fratre suo Jacob.

Videndum, inquit Estius, quomodo hic locus non repugnet cap. XXXII, ubi dicitur Jacob rediens ex Mesopotamia misisse nuntios ad fratrem suum in terram Seir, in montem Edom; item cap. 33, ubi dicit Jacob se secuturum vestigia Esaü, donec veniat in Seir, imo et Esaü reversus dicitur illo die, itinere quo venerat, in Seir; quomodo igitur hic tamen dicitur a fratre suo recessisse, et habitationi suæ delegisse montem Seir?

R. cum S. P. Aug., Q. 119 in Gen.: *Esaü postquam in Mesopotamiam frater ejus abscessit, noluit habitare cum parentibus suis, sive ex illa commotione, qua dolebat se benedictione fraudatum, sive aliqua causa, vel uxorum suarum, quas odiosas esse videbat parentibus, vel qualibet alia.* Abiit ergo in Idumæam, sed non animo stabiliter permanendi. Deinde post reditum Jacob

(Nouf.)